

I. N. J.

DISPUTATIONEM PHILOSOPHICAM,

DE CYGNO

Ejusque ²⁸

CANTIONE.

Consensu Ampliss: FACULT. PHILOS.

In Regiâ Academiâ Aboënsi,

Sub PRÆSIDIO,

Viri Amplissimi

DN. M. PETRI HAHN.

Scientiæ Nat. & Regii Prof. Ord. & A-
cad. Biblioth. Celeberrimi, Promotoris
indefinenter colendi,

Pro Grada Magisterit,

Publico Examini modestè subjicit

MATTHIAS J. WEGELEMANSI

Wex: Smol:

In Auditorio Maximo,

die 23 Junii A. 1697 solitis hor. antem.

A BOE, Impr. apud Jo. WALLIUM.

In Erine Minut.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
Viro Fidelissimo,
Reverendissimo in CHRISTO Patri,

DN. SAMUEL I
WIRÆNIO,

S. S. Theol. DOCTORI Celeberrimo,
Diœcesios Wexionensis
EPISCOPO Eminentissimo,
Venerandi ibidem Consistorii
PRÆSIDI Amplissimo,
Gymnas. Scholarumque EPHORO
Accuratisimo,

PATRONO & PROMOTORI MAXIMO.
submissa mente æternum de-
venerando.

Vitam longam!

Salutem perennem!

Pacem diuturnam!

Propensissimus atque per orbem summe laudandus ille favor, quo Tua Eminentia, Episcope Reverendissime, artium liberalium Aestimator Maxime, Musarum amantes complecti & quasi in gremio tovere soles, auditor mibi est, ut exercitium hocce Academicum Eminentiae Tuae summa animi veneratione offeram, nullus dubitans, quin Excellentissima Tua Eminentia hoc submissi officii indicium benigna mente suscipias. Nescio sanè cui id potius consecrem, nisi cui maxima debeo, & cui tota spes mea innabitur, qui que tam voluntate, quam facultate in succurrendo clientulo aliis prevalet: Nomen ideo tuum, Eminentissime Episcope, in hisce etiam plagiis non sine debita reverentia & sempiterna laude plurimi putatur atque extollitur. Placidis Tuis oculis opusculum hoc Cygneum inspice, bilari vultu custodem, qui in difficitibus oris magnis cum difficultatibus est luctatus. Paternè, us soles, aspice, benignè suscipe & promove. Tanti beneficii memoria nulla unquam oblitione delebitur. De cetero, DEUM T. O. M frequentioribus spiriis supplex perpetuò venerabor, ut Reverendissimum in Christo Patrem cum nobilissima sua Familia, Ecclesie, Regi, sibi, suis & mihi in columem clementer, conservet, quod doveret qui semper permanebit.

Eminentissimi Episcopi
humil. cliens

MATTHIAS WEGELMAN.

Adm. Rederendo & Amplissimo Domino,

DN. M. OLAO CAVALLIO,

Templi Cat. Wex; dudum PASTORI meritis-
simo, ARCHI-PRÆPOSITO & Consistorii SE-
NIORI Celeberrimo, Promotori Magno, hu-
milius animo ætatem venerando.

Max: Rever: & Praclarissimis Dominis,

Consistorii ADSESSORIBUS gravissimis,
Gymnasi reliquis LECTORIBUS Celes-
berrimis, Scholæ RECTORI & Con-RECTORI
dignissimis, Patronis Optimis, pia mente nullo
non tempore venerandis & colendis.

Perquam Rever: & Clarissimo Domino,

DN. M. SVENONI HØØR

Pastori in Möblered & Vorsåhs dignissimo,
Promotori certissimo, pio animo nunquam
non prosequendo.

DN. OLAO BRUUN / Sena-
tori & Secretario dexterissimo, Fautori iti-
dem multum honorando.

Annos multos! incolumitatem perpetuam!

Plurimum Reverendo Domino,

DN. M. PETRO OSANDRO,

Præposito in Kongahärad meritissimo,
Pastori in Linderyd & Sandsiöd vigilan-
tissimo, Promotori indubitatissimo, per-
petuo observando.

Multum Rever: atque Doctissimo Domino,

DN. JOHANNI KARKEE

Pastori in Bäckehång / Tingsåhs & Uhråsa
vigilantissimo, Promotori ac Benefactori
propensissimo, toto pectore perpetim suspi-
ciendo.

DN. ERLANDO WEDDEGE / Curiæ

Wex: Adseffori æqvili: Mercatori itid. solertiss:
olim Nutritio liberal, nunc Faut, propensiss:

DN. SVENONI UHR / Senatori & Mer-
catori prudentiss: Evergetæ semper amando.

Felicitatem omnigenam!

i secreta seriaque estimatione, Pro-
motores Maximi, Fautores & Bene-
factores certissimi, beneficiorum Ve-
strorum magnitudinem perhexero,
merito adfirmare audeo, me Vobis
ob beneficia Vestra in me antea collata, plura
debere, quam unquam valeam persolvere: Ne
autem officiorum meritorumq; Vestrorum plane-
sim immemor, Vobis etiam in signum grati a-
nimi leve hocce opusculum submissè sisto, Lau-
tiori facultate destitutus, cum radiofa pauper-
tas & aliae non minores difficultates, quorum
sub onere sepiissime ingemui, in oris bisce sep-
tentrionalibus, quas jam ingravescens quo-
tidie & in iis antea inaudita fames, omniisque
Musarum adjumenti defectus gravissimè pre-
mit, studiorum meorum individus fuerit co-
mes. Hocce, ut soleris, bene assumite, melius
exponite, optime auctorem respicite, ne eo fa-
vore eaq; sse, quā erigi jam discipit, destitu-
atur. Votum attingens Deum clementissimum
quamdiu rebus humana interfueron nulle non
tempore humiliè rogabo, dignetur Amplissimas
Vestrarum Dignitates pro cuiusq; voto mul-
ti jugū bonorum abundantia eternq; tandem
caelesti coronā cumulare atq; beare: quod exopeat
semperq; exoptabit, qui est perpetuoque erit.

Amplissimarum Vestrarum Dignitarum
Officiocissimus cultor
MATTH: Beckelman.

Ad

Juvenem Virum

CANDIDATUM PHILOSOPHIE

LITERIS & VIRTUTIBUS PRÆCIPUE & INSEGNI
GNITER LIMATUM.

DN. MATTHIAM BEERENMANNI

Cum discursu excogitatissimo,
CYgni naturam canticumque
γοάδη ac ἀναρμόνιον
quæstius explicaret;

Jam neque mirabor: zephyris qvatientibus ales,

Dulcisonum cycnos fundere posse melos,
Dirceo melius namque hic modularis olore,
Percussus borea qvamlibet ipse gravi.

Nec fors addubitem: numquid sit *Apolline* dignus.

Ales, ob auditos nemini ab alio modos.

Nam, nexu legis scævâque cohorte solutus,

Fit nova **Cygnus** avis: ritè sacrata DEO.

Non cineres ergo meditatur: Vivito, dicit,

Qui poteras nostrum restituisse melos!

Præproperè L. m.

Mqz.

JO: RUNGJUS.

Cygnus ad pugnam fortis eſt, injuriā non
lacetſit, tanquam moderatus & prudens
vir, lacetſenti animi robore nihil ſanē con-
cedit. Ab aquila hoſtiliter appetitur, vix
vincitur, ſed provocantem jure opeſimo vincit.
Cetera aves cum eo quafe pacis fædere de-
vinciuntur.



Vivit in Terris, Aquarum potius Amator.

Tu DEUS, & mente viresque & cuncta ministrans,
Ad sis, & nostris clemens allabere cœptis!

Ne gleda omni præfatione, mox ipsam rem aggredientes assumimus Definitionem Cygni Nominalem, in qua sese offert

Ἐπιμελογία seu Cygni nominis origo. Cygnū vocant Græci Κύκνον, Latini mutant **KING.** Κύκνον dicitur quibusdam, teste Varino, quod tibi ioveniendi causa præ ceteris animalibus cœnum perscrutetur ἀπὸ τῆς κοκκιᾶς τῆς ἵλιας. Alii sunt Cygnus Κλύκος, à κλύω, id est à verbo κλύω, vocem edo, clamo: est enim avis clamosa, ut anser. Hesychio, Varino & Cornelio Schrevelio κύδην ab albedine, vel q. κύμασιν, in fluctibus natans. Aliis τοῦτο τῆς κύκλου, à terete collo. Isidoro lib. 12. c. 6. à canendo, quod carminis dulcedinem modulatis vocibus fundere singatur. Scopps est ab ὄλος, cui Cygnus dicitur *Holor* cum aspiratione. Petrus vocat Cygnū ὄλον ὄρειον rotum candidum. Alias videtur Cygnus quasi Κυδόνος, inclitus, gloriolus, celebris, quod ob amabilem colorem & vitæ integritatem in gloria & celebritate habeatur: Κύδος enim est gloria, decus.

A

Q.

Ὀμονυμία, quæ est mater variæ aceptionis
 & explicationis vocabuli. Sumitur Cygnus
 (α) pro *Cygnorum iconibus*, Vid. Valer. Flacc.
 l. i. Argonai. Tum pro *Sene Musico*, vid. Orus
 Apollo in Hieroglyph. Tum pro *Poëtis*, Ho-
 rat. l. a. od. 20. & l. 4. od. 2. Tum pro *Ora-
 zoribus* vid. Synesius Cyrenæus in Dione.
 Tum pro *Philosophis & quibuscunq[ue] literatis
 justisq[ue] viris*, Vide Ulyssis Aldrovandi Phi-
 losophi & Medici Bononiensis Excellentissimi
 Ornithologiam lib. 19. c. 1. de Avibus. Apud A-
 thenæm l. II. meminit *navis cujusdam virgin-
 ti remorum* Nicostratus, qvæ navis dicta est
 Cygnus, qvod Cygni avis effigiem gereret.
Cygnus inscribitur etiam *Liber* quidam Lu-
 ciani, qui pariter de *Electro* inscribitur, qvo
 in libro seipsum & scripta sua vir ille exte-
 nuat. (β) *Cygnus* est genus quoddam *Col-
 lyrii*, cuius mentionem facit Joh. Gvinthe-
 rius Andernacus apud Galenum; de qvo Col-
 lyrio loquitur etiam *Æctius* ser. 3. tetrab. 2.
 c. 104. & vocat idem *Collyrium Reginæ Cy-
 gnum*, it. Alexander Trallianus l. 12. c. 5.
 testatur ad parandum hujsmodi collyrium
 consumi debere 32. albumina ovorum, qvod
 collyrium est lenissimum ad magnos oculo-
 rum & acres fluxionum impetus, convenit
 iis hominibus, qui collyriorum rosiones obcor-
 poris

poris imbecillitatem non ferunt. (γ) Pro astro qvodam s. asterismo septentrionali 18. stellis constante, de qvo hoc miraculum prodidit Firmicus l. 8. c. 7. dicens: *Quicunque hoc oriente sydere nati fuerint, metallorum inventores erunt, qui latentes auri & argenti venas, & ceterarum specierum solerti bus inquisitionibus prosequantur: hi quoque monetarii erunt.* De eodem sic canit Pontanus l. 5. de stellis rubric. de cygno: *Sur gens vagus &q; vore Cygnus.* Vide Manilium l. 4. c. 1. (δ) Pro *Cygnō* Herculis filio, à quo *Cycnea*, in Germania, originem & nomen dicit, ut dicit Joh. Garzonius l. 2. Rer. Saxonie. *Cygnus*, teste Aldrov. l. c fuit Rex ille Ligurum, qvi cum Phaetontis affinis sui necem insolabiliter defleret, in avem sui nominis commutatus dicitur: hujus meminit etiam Virgil. x Æneid.

Non ego te Ligurum ductor fortissime bello Transferim Cycne, &c.

Vid. Buchner, in Lex Fabr. (ε) Fuerunt complures Gygni, doctore Aldrov. l. c. ut, *Cygnus Martis filius*, quem Hercules equestri prælio occidisse fertur, cujus mortem tam iniquo animo Martem tulisse dicunt, ut ejus ulciscendæ causa Mars arma adversus Herculem sumserit, sed Hercules eqvo Ari-

one, qvem Neptunus in eqvum conversus genuerat, adjutus elabebatur. *Cygnus* Neptuni filius, cum quo ex omni parte invulnerabili Achilles tempore Trojani belli est congregatus, qvem frustra aliquoties telis appetitum humi, re tandem intellecta, masculè prostravit, & genubus collo innixus vitâ privavit. *Cygnus* Trojanus, qvi, referente Eustathio, ob prudentiam à natura canus celebrabatur. *Cygnus*, qui in regione, cui Cycnitis nomen erat, ut ait Stephanus, imperavit, quis autem ille sit, non narrat. Duos priores recenset etiam Samuel Bochartus in opere bipartito de animalibus Sæ. Sæ. part. 2. l. 2. c. 25. de avibus immundis p. 300. & dicit, Martis filium in Thessalia transeuntes insidiis appetuisse & peremisse, ut ex eorum capitibus patri suo templum extrueret. Neptuni filium, ait, propria manu uxorem Philomonem necasse, & filium Tennem arcâ inclusum in mare conjectisse. Antonius Liberalis, teste Bocharto, prodit de *Cyervo* Apollinis filio, qui facie quidem erat formosus, sed moribus rudis & agrestis. Unde est, quod in fabulis homines duri & immites in *Cygnos* mutati esse narrantur. Postremo accipitur *Cygnus* pro jove, à qvo in olorem candidum commutato, h. c.

candidissimam formam induit, Læda s. Nemesis compressa, filiam toto orbe formosissimam Helenam, cuius amore totius Græcijæ heroës & principes flagrante dicuntur, ex ovo, quod ex eo congressu conceperat, exclusisse, & cygneo condore membra ejus perornasse fatur, vide Pontan. & Manil. l. c. it. Aldrov. p. i. l. c. Quo sensu Euripides Act. 5. in Oreste, Helenæ formam cygneam vocat. Apud Lucianum in judicio Dear. Paridi quærenti, qualis aspectu esset hæc Helena, Venus responderet: *Candida quidem, qualem, consentaneum est, à cygno esse prognatam: cennera autem, ut quæ in ovo enutrita fuerit.* Apud Lucianum de Gallo, Gallus de Helena ait: *Vidi quandam candidam & procera cervice, ut hinc Cygno prognatam esse adsimularent.* Martialis l. 9. in fine de fratribus geminis:

*Quæ nova tam faciles genuit tibi Læda
ministros?*

Quæ capta est Cycno nupta faceta elio.

(2) Est Cygnus urbs quædam apud flumen Herculeum in Colchide, referente Plinio l. 6. c. 4. Κύκνος est etiam locus in Asia, teste Strabone l. 19. Geogr. Civitas quædam in Mecklenburgo duo millaria à Güstrowie sita est, quæ vocatur Schwart quæ

qvæ à Cygno nomen habere creditur, sed fal-
sò, cum ferè ante 129 annos, auctore Go-
thofredo Voigtio in suis Curiositatibus Phy-
sicas c. 3. p. m. 82. ibi fuit quoddam nefan-
dum idolum fœminæ sexus & virginei habi-
tus lapideæ columnæ insistens, qvod dicebatur
SIWAN. postea SWAN, cui hæc urbs ori-
ginem & nomen debet, vide Thurii scripta
ex antiquitatibus. (η) Cygnus est eqvi no-
men, à Statio ob candidum s. album colorem,
de quo ita - - - *Rapidum Daneius augur*

*Ascheron increpitat, meritumque vocabula
Cycnum Audit.*

(θ) Cygnus est avis amphibia, magis
temen aquæ amans, quo sensu hoc loco ac-
cipitur.

Συνομια. Hebræi, sit Aldrov. l. c. nul-
lum habent vocabulum, quod simpliciter &
propræ Cygnum notet, חנשמת Tinschmet
Hieronymo est Cygnus, aliis autem est talpa, a-
liis vespertilio, aliis noctua, Henrico Opitio mo-
nedula רחם Lev. 11. 17. Deut. 14. 17. est
Cygnus, sed exponitur etiā merops & pelecanus,
vid. Boch. Ald. Opit &c. Cygnus dicitur etiam
Holor seu Olor. ! q. ὄλωρ ὄρεγνος, totus can-
didus, pulcher, ut Perottus vult, sed ob rabiem
Baptista Pius Bononiensis derivat ab ὄλογος iā

i.e. despicientia, teste Fulgentio Placide, quod hæ
 aves ad iram commotæ se invicem depa-
 scant. A loco ubi vivit Ovidio est *volu-*
cris fluminea, ales Caystria, l. 9. de tristib.
 Nasoni & Politiano *Caystrius*: Mosco &
 Theocrito, Eidil. 19. *Strymonius*. Virgilio *An-*
sir Amyclæus. A colore, Silio Italico, Ovid.
 Virg. *albus*: Martial. Scalig. Sanazar. *avis*
alba, candidus: Statio, Valer. Flacco, Ba-
 ptista Mantuano, Pontano, Virgil. *argen-*
tinus: Maroni, *candens corpore*: Pontan. *Ca-*
nus: Alicato *pulcher*: Antonio Gigo *Ni-*
tidus, Egregius. A *pennis*, Manlio *Plu-*
meus. Statio *Mollis*: A *longitudine colli*, Ho-
 mero Δελιχόδειρος. A *placiditate*, Ovid. *Inno-*
cius: Mantuano *Imbellis*: Pontano *Blandus*:
 A *voce & cantu* Virg. *Argutus*: Fausto pe-
 trarchæ *Musicus*: Torquato Tasso *Vocalis*: Ke-
 lio Julio Crotto & Pontano *Modulans* Ti-
 to Vespasiano Strozzi *Centans*. A *mortis præ-*
figitione; Statio *Fatidicus*: Bapt. Mant. *Fa-*
ta canens: Jano Gruterio *Oscinus*: Alias ap-
 pellatur *Apollineus*, quod Apollini dicitur sa-
 cer: Martiali *Lædæus*, à Læda, quam Jupi-
 ter Cygni figurâ compressisse dicitur: Statio
Amyclæus, nam Amyclis Laconiæ urbe Le-
 da nata creditur, quare & Plumam Amyclæ-
 am dixit Martialis, sicut Cygnum ipsum Spar-

eanum, i. e. ut ejus interpretes exponunt, Lædæum, convenientius stupratorem vocat, quod Jupiter sub Cygni specie Lædam stupravit.

Nota: Olor non semper Cygnum, sed interdum odorem notat, teste Apulejo l. i. de Asin. aur. At ille, ait, olore alioquin spurcissimi humoris percussus, quo me lamiae ille infecerant, vehementer asfernatur. Apagite, inquit, fætorem exrema latrina, & causas cœpit hujus oloris comiter inquire.

Definitionem Cygni Realem facit Joh. Sperl. Zoolog. p. m. 329. talem:

Cygnus est avis drensans candida, robusta, animosa, natatum magis quam volatum amans. Albertus talem, qua potius Cygnum describit, quam definit:

Cygnus videtur esse generis anserini, cum rostri figura, tum pedum vultuque tempore pugne sibilat ut anser. Cui calculum suum addit Turneruschis verbis hisce:

Cygnus est forma vultuque anseri similis, sed multo major, torus candidus, pedibus nigris.

Causa Efficiens prima s. principalis, remotæ sunt omnes tres SS. Trinitatis perlornæ, Gen. 1: 20. 21. Psal. 148: 5. Efficiens secunda, particularis, propinquæ, sociæ, univoca, physica, mas & foemina, quæ vi primævæ benedictionis speciem Cygneam multiplicant, Genes. 1. 22.

Effic.

Effic. universalis prima, S. S. Trinitas. univers. secunda, equivoca stellæ, universaliter in hæc inferiora ad fœcundationis promotionem & fœtuum exclusionem incurrentes ac juvantes.

Causa finalis s. finis primus & ultimus absolute & simpliciter est gloria DEI, cui omnia inferire tenentur. prov. 16: 4. 1. Cor. 10: 31. Col. 3: 17. finis intermedius utilitas hominis, cui Cygnus dat alimenta, tegumenta, oblectamenta; unde bene dicitur: *omnia propter hominem, homo propter DEUM.*

Causa formalis s. forma generica anima sensitiva, qva Cygnus objecta sensibilia cognoscit, salutaria appetit, nociva fugit & de loco in locum movetur mediantibus suis facultatibus.

Forma specifica est anima Cygni, per quam est & distinguitur ab aliis avibus.

Causa materialis s. materia creationis Cygni, ut & reliquarum avium varia constituitur. Quidam volunt illam esse 4 Elementa; alii terram, ad dictum Gen. 2:19. *forma verat Dominus DEUS est terra omnem bestiam agri, omne volatile Cæli.* Cui dicto multi & magni viri favent impensè, ut Rabbinus Gerson. Aben Eïdras, Gerhard. Ioh. Wossius. Salianus, qvi dicit in Annal. A. M. 1. die 5. num. 6. aquæ permista fuit terra, & terra aquæ, cum DEUS serram excitavit ex undis, eamque quasi spongiam

replevit ac fecundavit aquis, quibus innatae
 bat aer, igneo ac vivifico calore perfusus. Ex
 aqua tamen, quasi prae dominantem Elemento, ut
 homo & cetera animalia terrestria ex terra
 producta dicuntur. Et super haec omnia accede-
 bat Sol, omnium viventium corpore constan-
 tium parens. Accedit ratio: quod Cygnus in
 terris degat & quiescat: secus in aqua vici-
 rus semper, ut pisces, quando eandem cum
 pisce agnosceret materiam. Cygni ut cete-
 rarum avium, dicunt, caro magis ad terra
 & aeris naturam convenit, quia non est frigi-
 da, limosa, humida, ut caro piscium; sed
 temperate calida, sicca, compacta, boni succi
 ut aliorum animantium caro, quae in terra
 procreantur & nutriuntur. Sed de carne Cy-
 gni infra. Non minores sunt numero, au-
 thoritate & doctrina, qui constituunt Cygnus
 & omnium reliquarum avium materialis
 creationis solam aquam proprie sic dictam
 cui semen Cygni producendi concreatum erat,
 ad dictum Gen 1: 20. Et dixit DEUS
 proreptente aquæ reptile, animam viventem
 & volatile volat super terra, super faciebus
 expansionis celorum. Si Textus Hebraicus a
 verbum reddatur, ita sonat: Repere faciant
 aquæ reptile animæ viventis, & volatile vo-
 let super faciem extensionis Cœli. Caldæus it
 habet: Movere faciant aquæ reptile animæ vi-

viventer, & avis volitetur super terram juxta faciem expansi Cælorum. Latinus ex siveco ita: abunde producent aquæ reptilia animantia, & volucres, que in terra volitent, sub expanso cæli: v. 21. Et creavit DEUS cœlos magnos, & omnem animam viventem repensem, quam repere fecerunt aquæ secundum speciem suam, & omne volatile alatum, secundum speciem suam. Alius ita: Creavitque DEUS cœligradia, & omne animal repens, quod abunde produxerant aquæ juxta cuiusq; genus, & omnem volucrem alatam juxta genus suum.

Quod materia creationis Cygni fuit una & eadem ac piscium, sc. sola aqua, præter ceteros asserit D. Lutherus comment. in Gen. pag. 10. citante Christiano Chemnitio ad qvæst. 8. in Gen. cap. 1. sicut enim piscis in aqua natat, sic avis in aere volat, & quamquam carnem habent diversam, eandem tamen habent originem. Sicut manifestus textus hic est, volucres ex aqua productas petisse aerem, in quo vivunt. Gesnerus p. 24. q. 30. in Genesim asseverat, DEUM ex eadem aqua materia duas animantium familias eduxisse plane diversas & contrariis temperamentis præditas. Hicce favet Rung. p. 58. Ratio fundata est in eo, quod præter aquam non fiat in hisce versiculis mentio alterius alicujus ma-

teriæ, ex qua cygnus sit productus, vocabu-
lum ideo aquæ videtur repetendum & utriusque
familiae principium creationis constituendum.
Qvod una & eadem materia, sc. sola aqua,
fuerit piscium & avium materia, præter mul-
tos alios Sæ. Sæ. interpretes, qui in hisce
probantibus fuerunt & magni & multi, dicit
P. Gaspar Schottius in Physica sua Curiola,
præter quæ adduxit c. 4. p. 785. 786. c. 5. p.
787. 788. *Sola aqua ad piscium & avium,* &
sola terra ad ceterorum animalium primam
productionem, non effectivè, sed materialiter,
concurrit, c. 6. p. 789. ego, suppositâ divi-
nâ omnipotentiâ, ubique verba divinæ scri-
ptruræ sumo ut sonant, ibid. p. 791. ad cu-
jus sententiam, cum M. Henrico Kipping. in
sua Phys. cum Rabbino Gerundensi, Lysero
Cartwrigto com. ad Gen. 1. 20. Ludovic.
Molina de opere sex dier. disp. 18. D. Am-
broſ. l. 1. in Hexaëm. D. Cyril. l. 1. in Ger-
D. Hieron. Epist. 83. ad Oceanum. D. Chry-
Homid. 7. in Gen. D. Damasc. l. 2. c. 9. I
Basil. Homil. 8. Theodore. l. 5. D. Augus-
Cornel. à lapide, accedit Joh. Sper. Zool.
4. c. 1. p. m 287. & Exercit. l. 8. Exer. 5.
680. de avibus. Aquam ideo allocutus est cre-
tor, hæc ad verbum Domini Jubantis prin-
dedit pisces, dcindè aves: quia verba DEI su-

pera DEI, DEI præcipere est facere, Plal.
48: 5. Ipse dixit & facta sunt: ipse mandavit
& creata sunt. Sic ratione materiæ creationis
sunt aves cum piscibus unius ejusdemque
riginis & animantia conjunctissima, unde aves
cum piscibus dicuntur fraterculare; sed
itione Elementi s. loci, in quo vivunt, tempe-
amenti, carnis ac proprietatum sunt diversissi-
ma: pisces ad jussum creatoris replent a-
eras, aves se multiplicant super terras. Tenuer-
eum judicium in his nec S.æ S.æ nec Doctorum
ingeniiis præfero, sed malo paululum er-
rare, quam DEO & clarissimis S.æ S.æ inter-
pretibus oblatrare. Ille tamen videtur nimis
lebilem facere omnipotentiam DEI creatoris
omnipotentis, qui aquæ, alicis nostræ, ex qua
primo producta est, materiæ creationis repu-
gnat, cum tam facile fuit DEO ex sola aqua,
quam ex sola terra avem Cygnum creare.

Materia generationis, transiens, est semen,
ipsum medium generationis proximum, sine
quo nulla datur generatio: ex semine fit o-
vum, ex ovo pullus cygneus.

*Materia constitutionis sunt partes s. cor-
pus organicum.*

*Tempus quod attinet, dicimus cum Sa. Sa. Cy-
gnum à DEO s. Creationis die productum
esse, Gen. 1: 23.*

enice præmissis!, consultum esse videtur,
Cygnum qva partes integrantes & qvæ sunt
cetera paululum inspicere.

Caput qvod concernit, habet Cygnus
rostrum ut anser; videtur enim Alberto &
aliis esse generis anserini, latum 6. digitos
longum, qvod cœno ad cibum sibi quæren-
dum inferit, paululum turbinatum utque
falx incurvatum, colore rufo, in extremitate
obtusum, hinc Ovid. *Tenet os sine a-
cumine rostrum*; ultimis ætatis annis denta-
tum, auctore Alberto, etsi Plinius l. 36. c. 11.
nulli volucrum concedat dentes, excepta Ve-
spertilione. In cujus summa parte, qvæ ca-
piti committitur, est rotundum tuberculum;
narium foramina superne ad finem sunt nigra.

Collum est multa carne longissimum,
circiter 8 palmos, 28. vertebris constans;
qvare ab Homero dicitur δελιχοδειρός;
ab Euripide in Iphig. δελιχάυχλην, collum
a pectore longe porrigitur, ait Ovid. lineæ
piscatoriæ usum in aquis præbet in captanda
esca. De usu & necessitate proceritatis colli
lib. 6. Hexaem. c. 22. eleganter differit D.
Ambrosius: *Cygnus cur proceritate colli uta-
zur, in promptu est, ut, quia est paulo cor-
pore segnior, ob molem, nec facile potest in-
feri-*

feriora aquaram penetrare, cervicem extendit ad prædam, quæ corporis totius escam, quam invenerit, rapiat, atque e profundo eruat. Sic natura nullibi deficit, nullibi exuberat, nullibi otiosa.

Lingua, ad Ornithologorum opinionem, est valde scabra.

Oculi sunt pulchri, teste Lycophrone, Scallig. in Cassand. sed cœsii. Ab oculis, ait Aldr. versus rostrum apparet pellis nigra.

Crura sunt nigra longiora plumulis aliquanto obducta supra genu.

Pedes habet Cygnus palmum latos, digitos 12. longos, maculis partim nigris, partim tæruleis, partim rubicundis, partim albis distinctos.

Membranae pedum constant squamulis minimis & rotundis, *digitorum ligat junctura rubentes*, ait Ovid. *Membranæ*, dicit Albert, datæ sunt, ut eo melius natet. Uno pede, affirmat Albert. & Schottus, inter natandum utitur pro remo, ut ceteræ plumigeræ aquatiles, ad promovendum natatum, altero pro corporis sui gubernaculo, ut tendat quod cupit.

Digiti pedum existunt numero tres nigri, lati quoddammodo, incurvati instar annularum; medius crassissimus & maximus 12. di-

digitos longus; primus seu internus 9, ultimus seu externus 7, qvorum operâ contra aquilam utitur.

Pennæ alarum, earumque ambitus est palmarum 7 $\frac{1}{2}$. Caudæ pennæ longissimæ 3. palmarum longitudini respondent.

Longitudo Cygni extensi, ait Aldr. mediocrem viri statutam exæqvat. Nominatus Ornithologus fatetur se vidisse Cygnum 24 libras pendentem. Dicitur ideo aquila, visam magnâ prædâ, parvas aves ungibus demittere & cygnum insequī, cum unus Cygnus egenum aquilæ ventrem melius impletat quam multa avicularum corpora eum saturant.

Intestina si inspiciantur, sunt, teste Excell Med. D. Joh. Jonstono in Hist. Nat. l. 4 Tit. a. c. 1. de avib. palmipedibus herbivoris p. 91 omnia 4. dodrantes & palmum longa, multo adipe intecta. Aldrov. phil. & Med. part. 3. l. 19. c. 1. p. 5. Ornith. affirmat intestina multum adiposa in Cygno à se infecto, 4. dodrantes ac integrum palmum æquâsse, crasso adipe instar omenti spirali revolutio ne inflexa.

Arteriaæ asperæ, non minima pars Cygni, est insigne in hac alicet naturæ opus, admixtandæ sane & magnæ structuræ; Comitatui

enim oesophagum, ad jugulum usque descendit, non recta, ut in aliis animalibus, ad pulmones pertendit, sed supra claviculas elevata in costam ossis pectoris inseritur, tenui membranâ obacusa, hiulcæ fistulæ s. syringis, instrumenti musici, & litteræ. S figuram repræsentans, unde quidam cantum Cygni probare conantur, de quo & de usu ac necessitate hujus arteriæ videbitur infra.

Locus, in quo Cygnus degit, si attendatur, dicitur hæc ales amphibia, quæ in terris & aquis vivit, sic ancipitem vitam agit, maximè tamen, si fides habenda est Arist. H. A. l. 9. c. 12. lacuum paludumque aquis delectatur. Oppianus asserit hanc avem pratis, littoribus & stagnis gaudere. Albertus dicit eam stagnis potius adhærere. Alberto consentit Elianus H. A. l. 15. c. 17. & 24. cum juxta stagna major herbarum copia, quibus vescitur, vocatur enim avis herbivora, & lutu, quod diligenter rostro versat, adebat. Hinc Virgil, lib. 2. Georg. Amisit Mantua Campum pascendum niveos herboſo flumine Cygnos. Et Hieronymus Vida:

Herboſo niveos dum margine pascit olores.
Jacobus Sanazarus: Dum pascit niveos herboſa ad flumina olores. Elianus H. A. l. 10. c. 36. asserit greges Cygnorum conspicere in

Afro mari, & in flaviis Caysstro, Istro, Tanai, Strymone, Meandro, Eridano, Mintio, Temesi. Cui adstipulatur Ovid. Metam l. 2. & 5. Seneca in Agamen. Tragœdus, Theocritus Eidyl. 19. Lucianus, Statius l. 14 Papinius, Mantuanus, Polydorus l. 1. H. Anglor. Sed alia est ratio, cur Cygnus potius stagnis & paludibus gaudet, quam fluminibus concitato aquarum cursu labentibus, scilicet non tam ad quærendum sibi alimentum, quam ad affectandam maiorem quietem, cum dicitur animal nonnihil meticolosum, magnas turbas horrere & fugere: stagna & paludes concitatis fluminibus sunt quietiora, nec ut flumina natatum impediunt. Cur Cygni apud nos sunt rarae aves, est causa, quod flumina, paludes & stagna nostra hymen perpetuâ ferè glacie obtengantur, si qui raro æstate adveniunt, adventante tamen hyeme ob allatam causam evolant, & si qui adsint, statim sagittis dejiciuntur, sic nobis multiplicari nequeunt; nec ea adeo copia herbarum, quibus Olor vescitur: una enim non fert omnia tellus. Multis in locis vel non sunt, vel raro & rari sunt Cygni, licet nec lacus, nec stagna desint, ob nutrimenti defectum, ut de sua patria & aliis terris dicit Aldr. l. & c. c. p. 6,

Cibum cum cœpimus tangere, eum ideo accuratius inspiciamus. Occurrunt hic nobis ipsis cibi egens Cygnus, quem g. l. 10 c. H. Arist. *ἰυθίον*, quod in parando sibi victu non sit segnis & iners, sed valde diligens, cum cœnum saepius rostro cribrat, querens præcipue herbam *Algam*, crassiorum foliorum in aquis crescentem, cuius meminit Baptista Mantuanus l. 4. Alphons.

Persimilis Cycnis viridis, quos Mintius Alga,
Quos Meander ait, quos humida prata Caystri.
 Hector Boetius in descripto Regno Scot. Nasatur in lacu quodam in Moravia herba quædam, cuius semine avidissime vescuntur Olores, que ob id Olorum est cognomitata, ea herbæ illius natura est, ut agris injecta nunquam putrefaciat, hinc factum est, ut licet in spatium 5 prope milia statim distendatur, hominumque adhuc memoria piscibus, maxime Salmonibus exundare conservetur, ubi ea enasit cœpit, sensim accrescens totum illud vadofum impeditum natis reddiderit, nec ullus deinceps pisces maior in eo visus est.

Pierius Valerianus afferit, & cum eo alii, Cygnos in volucrum genere id habere peculiare, ut alter alterum depascatur, & inter se mortis convertere, nec in ira ovis & pullis propriis parcere, ait Ælianus Joh. Sperl. Zool. l. 4. c. 10.

huic succurrit sententia, imo Wolfgang. Franz. Hist. Sacra animalium part. 2. c. 7. p. m. 370. quod nulli aliti, ut creditur, excepto accipitre & nisu, mos est. Qvod videtur esse causa, teste Franzio, quare hæc avis Lev. ii. 17. Deut. 14:17. avibus immundis annumeratur, quarum eorum Iehova Iudæis interdixit, ut eo indicetur, piis & christianis hominibus hoc omnino esse ca- vendum, ne aliis alium vicissim mordeat & de- voret, neve alias ab alio consumatur, Gal. 5. 15. de his postea. Bochart. l. sup. c. liter po- etæ summis laudibus Cygnos evitant, quam tamen sint immites, docet Philosophus histo- riæ libri. 9. c. 1. ἐτοι κύκροι ἀληλοφάγοι μά- λιστα τῶν ὄρνεων. Plin. l. 10. c. 22. idem inter se mutua carne vescuntur. Ut diritatem factiem ol- liant Athenæus l. 9. & Ælian. in Variis l. 1. c. 14. pro ἀληλοφαγῶν se mutuo comedere, devorare, adhibent ἀλληλοκένειν se mutuo in- terimere. Hinc est, qvod homines duri, im- mites & crudeles in Cygnos mutatos esse fingantur, de his supra. Cardanus l. 10. de subtil. p. 601. *Hoc genus avium tam lauda- tum suos discerpit & devorat.* Sperl. Albert. & Franz. l. c. produnt, Cygnum vivere vi- rentibus herbis, granis segetum, ut anser, vermicibus & ovis piscium, quamvis Hesiodus

in scuto Hercul. ait Cygaum piscibus absti-
nere & juxta eos placide natare: per ipsum,
inqvit, Oceanum Cygni altivolantes multi in
summa aqua natabant, juxta pisces moveban-
tur. Quidam, teste Aldr. ferunt Cygnum
piscibus cedere, si eum natando insequantur.
Sagitationem quod spectat, certum est, quod
æras nostra ad mensæ usum non saginat Cy-
gnum: Plutarchus tamen lib. de esu carnis af-
firmat, veteres Romanos saginandis Cygnis
oculos consuisse, eosque caveis obscuris inelu-
sisse ac anserum more saginasse. Vesci solet
urticis, ait Franz. ut comptimat & exting-
vat flammas libidinis. Michaël Glyca Siciu-
lus refert, Cygnum aliquando ranas devora-
re, easumque esu molesta quadam affectione
se liberare.

Volatum, Gressum & Natatum quod con-
cernit, dicit de his Albert. Sperl. cum aliis:
Cygnus medioriter volat, male ambulat, be-
nè natat. Ælian l. 1. Varior. scribit, Cygnum
totum pelagus trajicere, & indefessis alis per
vastum mare volare, cui convenit Arist. l. 9.
hist. c. 12. Hesiod. in scuto Hercul. vocat
κύνες ἀεροπτῆς i. e. altivolantes. Sed ut ut
Albert. & alii sententiam suam defendere co-
nantur, afferendo Cygnum esse animal ma-
joris malis, plurimæ carnis, ideoque magni-

ponderis; non medioriter tamen, sed valde
 celeriter, cum non sit defatigatus, vo-
 lat Cygnus Sylvestris, qui non est tantæ mo-
 lis, ut circu & domesticus in piscinis degens,
 de quo illi loquuntur, siquidem plurimis &
 maximis pennis, volatus instrumentis, à na-
 tura sit donatus. Nobis adstipulatur Home-
 gus Iliad. B. qui Cygni etiam inter aves vo-
 latiles cum gruibus meminit. Pindarus cum
 velit aquilæ perniciatem in volando expri-
 mere, fingit Jovem, cum cuperet medium
 mundi habitabilis partem certâ mensurâ de-
 prehendere, duas pari magnitudine parique
 perniciitate aquilas, unam ab occidente, alte-
 ram ab oriente, emisisse, & has brevi tempo-
 re pari celeritate eodem momento Delphis
 convenisse, quem locum mundi medium par-
 tem esse cogitavit, cui loco ideo *Omphalo s.*
Umbelico terre postea nomen est. Sed Piu-
 tarch, lib. cur oracula deferint, illud non
 de aquilis tantum scribi docet, sed de Cygnis
 quoque. Hieronymus Fracastorius Veronensis
 l. i. Joseph. & Poëta Jacobus Sanazarus l. ii.
 de partu Virgineo, Angeli Gabrieles manda-
 ta DEI ad Mariam virginem, omnium mu-
 tierum castissimam & purissimam, deferen-
 tis perniciatem in volando descripturi, vola-
 tum

cum ejus cum Cygnis celeritatem alarum aquilinarum æquantibus his versibus elegansissime comparant:

*Ille alium zephyris per inane vacatis
Carpit iter, scandit nebulas, atq; aëra tranat,
Ima petens, pronusq; leves vix commovet alas.
Qualis ubi ex alto notis Meandria ripis
Perspecta vada, seu placidi stagna ampla*

Caystri,

*Præcipitem sese candenti tempore Cygnus
Mittit agens, jamque implumis segnisque
videtur*

*Ipse sibi, donec tandem potiatur amoris
Victor aquis: sic ille auras nubesque secabat.*

Longius iter Cygni si ab solvent, gregatim, testatur Arist. l. 1. hist. c. 4. & l. 7. c. 12, ac experientia, comites volant, gregatim natant, Colla, ait Plin l. 10. c. 23. præcedentibus imponunt sequentes, fessosque duces ad terga recipiunt.

Gressum tardum ob magnitudinem corporis faciles concedimus.

Natans tam facilis est, ait Aldr. ut homo in ripa progrediens vix Cygnum natantem pedibus aequaliter. Qvomodo natat vide sup.

Vox Cygni apud Aristophanem est Tio, Tio, Tio, Tio, Tinx. Hesiodus in Asp. ait: Κύκνος ἀερστόλαχ μέγαλ' ὑπον. Author. Philomelæ.

Grus

Grus gruit, inque glomis Cygni prope fina drensant.

Tempore belli, affirmat Albert. Cygnos sibilare & bombos, non dissimiles ruditui asinino, emittere, sed breves, qui longè audi ri nequeunt; verius tamen statuitur, vocem Cygni cum anserum voce esse valde communem.

Ætas si consideratur, vocatur Cygnus ab Aristot. εὐγνός, quod etiam Ælianus scribit. Vulgo creditur, teste Aldrov. trecentesimum attingere annum.

Inter proprietates Cygni, observandi veniunt mores vitae. Aristoteli l. 9. hist. c. 12. est εὐήδης, probis moribus praeditus, εὐβοής, εὐγνός, εὐεξις, & innocens, vid Franz. Ut probis est moribus; ita bene nascitur, probè vivit, copiosam gignit sobolem, traviter senescit, & senectutem commodè perfert. Ælianus consentit cygnum suapte natura esse mitem & pacatum, facile cicurari præcisò interioris alæ articulo, pullos suos valdè amare & pro iis acerrime pugnare: licet nulli aliti sit sponte injurius, si tamen ab aliqua irritetur, vi vim repellere non veretur. Aristoteli l. 9. hist. c. 1. & 12. Aldr. aliisque Ornithologis dicitur Cygnus magnam antipatiam arque inimicitias cum a-

aquila rapaci alete : et si cum omnibus avibus
 pacem & amicitiam colit, aquilam tamen o-
 dit, quam nunquam ad iram lacescit, nec in-
 nitum pugnae unquam facit, sed ab aquila la-
 cescitus & ad pugnam provocatus ei sibi insi-
 danti animo non cedat, affirmat Joh. Jon-
 stonus. Aldrovandus auctor est : si plures cy-
 gni, sunt enim aves gregatae, aquilam aggrediantur,
 facilè eam vincunt; si v. una aquila
 unum Cygnum à reliquis separatum inven-
 rit, suā astutia eum vincit, quod approbat
 Arist. I. 9. c. 1. *Cum aquila pugnat oris, nu-*
ntritque eam saepius, saepè tamen, teste Scali-
gero Exercit. 231, si aquila Cygni alâ pulletur,
actum est de ea. Cygnus quidem, test. Jonst.
& Ald. pugnam cum aquila detrectat, imò,
quotiescumque eam eminus volantem observat
expavescit, non quod viribus se inferiorem cre-
dit, sed pugnae imperitus armisque uti nesciens
miles repugnare non audet, in fugam itaque
fese conjicit, donec ab aquila ungibus raptus
ab ea se cueri cogitur, non iniquo Marte
repugnat & victoriam reportat. Sic furor fit
patientia saepius læsa; patientia aliquando abit
in furorem, armaque ministrat furor, & te-
lum ira præbet. Nec cum fulgure, serpenti-
bis, draconibus & cicuta benè convenit.
Cygnus, docet Naso I. 2. Metam. Philes & Æ-
lianuſ.

Firmitas magna quanquam toti insit corpori, præcipuum tamen robur adest alis, quibus aquilam saepe masculè debellat.

Nidum introspicentes docet Philocoerius apud Atheuam. Cygnos ova parituros in nidum suum herbam Lygæam, quæ est genus viticis, λύγος est vitex, in locis aquosis frequentem convehere, atque ex ea domunculam conficere. Joannes Breidbachius putat Cygnum hanc herbâ pullos suos tueri.

Generationem S. partum attingit Hect. Boëtius in descriptione Scot. & dicit, quod tempore libidinis blandientes inter se mas & femina, alternatim capita cum suis collis inflebunt, velut amplexandi gratia; colla mares applicant feminis, deinde post mutuos illos amplexus, mas femini sim conscendit, ubi coierint, mas conscius læsam à se feminam fugit, illi impatiens fugientem insequitur. At non diurna haec est eis discordia, sed noxa cessante re conciliantur: femina maris persecutione relata, post coitum frequenti caudæ motu, rostrum in aquis mergens se purificat. Albertus & Sperl. ferunt, tam mare quam feminam post coitum, facta conceptione, aquis sese immergere, idemque facere ceteras aves aquaticas, & falsum esse, quod femina cum dolore semen suscipiat, quodque mas post coitum

tum fugiat; non prius, infit Alb. fugit;
quam cœundi libido cessat.

Uſus Carnis cygnei in cibis apud quosdam
ornith. ut Ald. & alios ideo improbat &
abjecit, quod singatur valde annosa, ni-
grior, durior, ad concoquendum ac digeren-
dum difficilior, atque sic ventriculo inutili-
or, periculosior.

Uſus in Medicina habetur magnus. Aetius
Tetra. 2, serm, 179. scribit, tenellum cygni
pullum in oleo coctum esse admirabile ner-
vorum medicamentum. Adipem afferit Plin.
faciem purgare atque erugare. Idem l. 30. c. 9.
laudat adipem ad sedis vitia, ad emolliendas
vulvarum duritias, denique contra hæmorrhagiam.
Ad lentiginem s. maculas commedat
adipem Serenus.

Uſus pennarum magnus est. *Majores* u-
ſurpantur loco pennarum anserinarum pro
calamis scriptoriis. Hollandæ famulæ, test.
Ald. integris Cygnorum alis domorum an-
gulos, qui scopas non admittunt, verrunt.
Minores s. plumulæ ob mollitiem sunt lectis
aptissimæ: *Venus* dicitur non in alio volu-
isse lecto cubare, quā qui ē plumis cygneis para-
tus erat, iis præcipue, quæ supereminentibus pen-
nis subflunt, quas *lanam* vocat *Martial.* l. 14.

Uſus pelli cum plumis inservit operimen-

to corporis, apposita ventriculo, concordi-
oni apta putatur.

Plura sanè in Cygno laudantur, sed curta
facultatis memor, B. L. ad Ornithologos re-
mitto, meque excusatum venio.

An Cygnus morti vicinus cantet?

Res est plurimorum exactioris doctrinæ ac
sapientiæ virorum, Philosophorum sc. poëta-
rum & Oratorum magnis controversiis à mul-
tis retro seculis agitata affirmantium & negan-
tium. *Illi* mirabilem melodiam & suavissi-
mos cantus harmonicos cygno moribundo
concedunt. *Hi* v. cygnum non canere, sed
vocis inamoenitate corvis & graculis postha-
bendum contendunt. In numero affirmanti-
um sunt viri gravissimi, ut Arist. l. 9. hist.
c. 12. *Canere*, ait, *Cygni soliti sunt, præcipue
jamjam morituri.* Ælian. auct. Arist. l. 20. de
Animal. c. 30. asserit Olorum gregem inter-
dum in mari Africo apparere, & cantum ve-
lut ex choro quodam consonanti suavem, lu-
gubrem & tanquam ad misericordiam in-
clinantem præternavigantibus præbere, & ab
illa modulatione aliquos vivos extintos. Rur-
sus ex Hecatæo l. II. de Animal. c. 1. non so-
lum cygnos seorsim canere admittit, sed Ci-
tharœdis, cum Hyperborei festum Appollinis

celebrant, accinere. Oppiamus in observando
& describendo cygnorum cantu diligentissimus,
eos à favonio s. stante Zephyro ad cantum in-
vitari cū decrepiti jam viribus destituantur, his
verbis auctor est: *Diluculo canunt ante solu-
rum tanquam aere vacuo per id tempus audi-
endi clarus.* Canunt in maris litoribus,
nisi tempestas & procellarum sonus dissuade-
ant. Hoc vigente, nè suis quidem ipsi canti-
tenis satie perfrui possent; sed nè in senecta
quidem morti vicina cantus oblitisciuntur, qui
tamen eis in illa etate remissior est, quam in
juventa, cum neque cervicem amplius erige-
re, neque pennas extendere queant. Favoni-
um tunc ad canendum observant ignavi jam
cruribus & membrorum viribus defecti: mori-
turus secedit aliquò, ubi nulla avis canentem
audiat, nec olores alii tactuose interpellent,
si qui force adessent, qui similem vita exitum
sibi imminere intelligerent. Cie l. z. Tusc. af-
ferit cygnos prævidentes quid in morte boni sit,
cum cantu & voluptate mori Mat-
rial. In Xeniis:

*Dulciam defecit modulatur carmina lingua,
Cantator Cygnus funeris ipse sui.*

Statius l. 5. Sylv.

*Non ego quas fatis certus sibi voce canora
Inferias promittit Olor.*

Præter hos approbant etiam cantionem Cygnem Socrates apud Platonem, Collimachus Aeschylus, Theocritus, Antipater, Euripides Propertius, Aristophanes, Apulejus l. 3. Florid Philostratus l. 3. vitæ Apollonii c. 14. Oru Apollo, Isodorus l. 12. c. 6. Albertus, Georgius Braun, D. Federicus, Pendasius, Ald. ornith. l. 19. c. 1. Antonius Musa Brasavolus in Comment. Ad Porphyri Isagog. Plato in Phædone dicit cygnos cantare non ex tristitia mortis, sed lætitia, appropinquante fato, immortales se sentiunt, & ad Apollinem suum, cui sacros fuisse ob vaticinium mortis Cicero docet remigraturos. S. Patres hoc idem volunt. Ambros. l. 6. c. 22. Hexaem. Cygnæ catilenæ dulcedinis causam statuit colli longitudinem & asperam arteriam, ut alii, quæ cubam bellicat exactissime repræsentare dicitur. vide Virg. l. Æneid. Nazianzenus Orat. 34. seu 2. de Theologia p. 554. edit. Morellianæ, cantum referunt ad alas, sic scribens: *Cycnus non canit gaudere, sed alis edat sonos, cum pennas in auras expandit.* Idem Epist. 1. ait: *Zephyro alas inspirante swave quid concinnum canit.* Quidam fingunt, cantionis causam esse, quod in Cygnis cor ex puritate sanguinis titillat, & per procera colla aër exeat.

Negantes Cygni cantum sunt in primi
Juli

Julius Cæsar Scaliger subtilitatum ut alibi, i-
ta hic Magister Exercit 232. p. 728. vocat hu-
jusmodi cantum fabulosum, 'Cardanum his
verbis illudens: *De Cygni cantu sapissimo,*
quem cum mendaciorum parente Græcia ja-
dare ausus es, qd Luciani tribunal, apud
quem aliquid novi dicas, statuo te. Multitu-
do ingens ad Garantonum fluvium. Quid di-
ciam tibi? Ansere sunt. Luciano interroganti
nautæ quæsiti, an Cygni cantibus & modulati-
onibus indulgeant, respondent, se paucos in-
terdum Cygnos in fluminis Eridani paludi-
bus vidisse, qui incomptam & inamœnam vo-
cem ac sonum parum firmum edere solebant,
ita ut corvos & graculos illos confirmare
possis: Sed dulce & optabile quiddam nulla ra-
tione, nullo sanè tempore se percepisse testan-
tur. Alexander Myndius l. 9. referente A-
thenæo, profitetur se complutes moribundos
Cygnos persecutum fuisse, ut sibi de eis tra-
ditum audiret, sed nullum eorum cantum
attentissimis suis auribus accepisse. Plin. l. 10.
c. 23. Hist. Nat. hæc habet: *Olorum morte*
narratur flebilis canus; falso, alias falsis, ut
arbitror, aliquot experimentis. Hinc Franz.
H. A. part. 2. c. 7. p. m. 372. Plinius recte de-
ridet hoc Cygni canticum, illudque falsum es-
se probavit aliquot experimentis. Quanquam
Ælio

Aelianus approbat cantum Cygneum, fatetur tamen l. i. Var. Hist. se nunquam vel Cygnum, vel aliam alitem canere audivisse. Horum sententiam sequuntur Sperl. Zool. physi Casp. Kirchmäjerus Eloq. Prof. in Acad. Wiseb. Disp. Zool. i. c. 4. auctar. 5. p. m. 26. de Basilisco. Bodinus in Method. Histor. c. 4. Franz. in Hist. S: a animal. part. 2. c. 7. p. m. 373. 374. Galp. Schottus, qui fatetur se fuisse multis in locis, ubi Cygni alebantur in rivulis domesticisque piscinibus, nullum tamen Cygnum canentem audivisse, nec quempiam, qui audivit, offendisse. Cum bilice facere ego audivi peritissimum Med. Doct. in Acad. Aboënsi B. Eliam Zill. Landi sub autumno anni 1690. in dissecatione Cygni cuiusdam, qui ingenuè fatebatur, se in Germania, Batavia & alibi diligentissimè attendisse, num quis inter Cygnos cantaret; sed cantatores audivit malos, non meliores ansere.

Ad objectiones, quæ hic afferri possunt, Respondemus breviter:

1. Distingu. inter Cygni drenstationem, quæ lemcunque murmurationem, clamorem s. sonum, quæ huic aliti cum aliis volatilibus possunt esse communia, juxta vers. *Grus gruit, inque glomis Cygni prope stumina drenfant.*

2. Dicit inter modum ordinarium ac na-

uralem, & extraordinarium ac supernatu-
alem. De illo est quæstio, non de hoc.

3. Diff. inter posse, & esse. Potest quidem Cygnus à superiori causa, sc. DEO, cuius impulsu multa extraordinariæ fiunt, suavè canere, sine quo mótu nec est canorus, nec actu canit. Hinc argum.

Quidquid est contra experientiam, illud non est admittendum: canio Cygnea est contra experientiam. E. Major apparet. Minorem probant Scalig. Lucianus, Schottus, vid. sup. & Voigtius, fatetur se permulcos cygnos non in Saxonia solum, sed & in Pomerania, Mecklenburgo ac alibi vidisse, sed nullius canum unquam audivisse; nec quidquam notum sis, ait, qui dies noctesque in illis versantur locis, quæ Cygni incolunt.

Diff. hic ultimo inter quamlibet vacillationem & suavem canticionem; inter cantionem latè ac improprietate, & strictè ac propriè sumptam; prius concedimus, posterius vix dari credimus. Sic quamlibet sententiam non facimus nostram. Multitudo errantium non facit errori patrocinium. Turtur mortuo marito dicitur lugubrem vocem edere, non tamen dicitur canere. Hoc diei potest etiam de Cygno.

Object. Arteria aerea videtur cantum ad-

27

struere, unde arg. Qui apertissimum canem
instrumentum habet, ille canit; at Cygnus
quia natura nihil dedit frustra. Resp. plus
quam arteria aspera ad cantum requiruntur
quae adesse debent, sed hic absunt. Hominis
muti gaudent arteriam asperam, sed loquela dicitur.
In danda arteria illa natura non
fuit otiosa, sed negotiosa & prævida: tales
enim structuram postulat respiratio Cygni.
Naturæ placuit Cygnum alimentum suum
aqvarum profunditate inquirere, ideo cujus
longiori collo hanc arteriam natura Cygnus
concessit, ne suffocationis & mortis periculum
incurreret, dum per dimidiam horas
fere collum aqvis & cœno immersitur cibus
investigans; ex ea itaque spiritus s. aëris, respi-
rationis medium, suppeditatur, suffocatur
& mors evitatur.

Cygnus bene nascitur, bene vivit, bene gerit,
benè pugnat, benè senescit, benè obit,

MORALIA.

1. Ut cor ex puritate sanguinis dicitur
cincinnare; ita ponitur Cygnus justi viri ima-
go, cuius cor ab omni injustitia purum
erit.

2. Ut Cygnus jamjam moriturus fertur
mortem non metuere, sed cantu eam excio-
pere, sibi ipsi lugubres neniae canere;
ita

ita bonus Christianus ultima non extimesceret,
sed cupiet dissolvi, cum Paulo & Simeone,
& esse cum Christo, phil. 1. 23. Lucas 2: 19.

3. *Avarus* in Cygno depingitur: ut enim
Cygnus protezione colli cœnum rostro suo
suspando cibum de aquis pretrahit; ita *terreæ
filii*, neglegit cœlestibus, de terrenorum ab-
undantia solum sunt solliciti.

4. *Hypocritarum* nota est hæc ales: ut enim
Cygnus candidas habet penas, sed carnem a-
tram pedesque nigros; ita *peſſimum illud ho-
minum genus* est quidem extrinſecè candidum
i. e. probitate conspicuum appetet, sed intrin-
ſecè est nigrum, i. e. omni vitiorum labe inqui-
natum, pedes suos ad mala dirigens.

5. *Tyrannorum* effigies: ut *Cygnus* cygnum
devorat: ita malus bonum, impius pium in-
festat.

6. *Amicorum* simulachrum: ut *Cygnus* nul-
lam avem offendit, sed pacificè & amicè cum
aliis avibus ut plurimum vivit, ita pīs & chri-
ſianis hominibus probisque amicis cavendum
est, nè mutuas exerceant rixas, nè alter alte-
rum sinistris carpat verbis, sed ut omnes a-
micè, fraternè & unanimiter invicem vivant.
Gal. 5: 15. Rom. 12: 10. Gal. 5: 14. Phil. 2: 2.

Ecclesia Christiana in cygno eleganter de-
pingitur.

1. Ut *Cygnus* fortiter cum rapacitatem aquila, eam non lassans, certat eamque aliquando robore alarum masculè superat; ita habet Ecclesia christiana, nullum provocans, perpetuum, proh dolor, certamen cum crudelissimis tyrannis, quos tamen duabus suis fortissimis aliis, verbō DEI, gladio spiritus, Eph. 6: 17. & calidis preceibus, in quibus tota spes ei posita est, quibus hostes suos fortiter devineat & victoriam refert.

2. Ut *cygno* sunt latissimi pedes, quibus firmiter insistit; ita Ecclesia firmissimo gaudet fundamento, IESU Christo, quod nec ipse dabolus tota suā armatura induitus, & omnibus suis affectis stipatus evertit, sed pessundatus succumbit.

3. Ut *Cygnus* moderate vivit, plures pullos excludit, & ad seram ætatem vitam suam producit; ita Ecclesia vitam moderatam agit, complures liberos in vera fide educat, & in longam senectam usque ad finem mundi perdurabit.

4. Ut *Cygnus* vix totus suffocantes undas subbit; ita Ecclesia non temerè discrimina adit.

5. Ut *Cygnus* esu urticæ libidinem sifflit; ita Ecclesia inhonestæ & impia exercitia non urget, sed meditando veba Domini malatum cupiditas cum flammis extinguit Psal. 1. 2.

SOLI DEO GLORIA!

